



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

DE || LIBERTATE || CHRISTIANA ||

Lensaeus, Johannes

Antverpiae, 1590

Capvt IX. Recténe Petrus Abelardus censuerit diabolum carcerarium
duntaxat ministrum fuisse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46059](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46059)

enim propter seipsam quæ tota laudabilis est, sed propter damnabile vitium, quo deprauata est, natura humana damnatur. Quæ autem causa est propter quam iure damnatur, ea ipsa est propter quam meritò damnatissimo diabolo subiungatur. Quia & diabolus spiritus immundus est; & bona quidem res, qua parte spiritus; mala verò qua parte reperitur immundus: quoniam spiritus est naturâ, immundus vitio, vt mirandum sit libuisse Caluino dicere, ipsum naturâ prauum, malignum, ac malitiosum esse. Quomodo enim naturâ malus, quâ condidit atque etiamnum conseruat Deus? Non itaque tenet homines siue maioris siue infantilis ætatis, propterea quòd homines sunt: sed propterea quòd immundi sunt. quocirca quisquis miratur diabolo subijci Dei creaturâ, is iam mirari desinat. Subditur enim creatura Dei, creaturæ Dei: minor, maiori: quia homo, angelo: nec tamen propter naturam sed propter vitium, quia immundus immundo. hic est fructus eius, ex antiqua immunditiæ stirpe, quam plantauit in homine. Maiores quidem pœnas quanto est immundior ipse passurus, veruntamen & quibus in illa damnatione tolerabilius erit, huic sunt subditi velut principi auctoriq̄ peccati.

Lib. 1. Instit.
cap. 14. §. 15.

CAPVT IX.

Rectene Petrus Abelardus censuerit diabolum carcerarium duntaxat ministrum fuisse.

DIFFICILE autem iam quantum arbitror non fuerit perspicere, quid de illa sit Petri Abelardi assertionem iudicandum; qua statuebat nullum diabolo in homines fuisse dominium aut ius seu potestatem, nisi fortè vt carcerario, Deo permittente. Quanquam enim scriptum sit in Euangelio, propterea nobis cum aduersario nostro citò transigendū esse, tantisper dum in via sumus; ne nos aduersarius iradat iudici; & index

Luca 9.

tortori seu ministro, à quo conijciamur in carcerem, unde nisi persoluto nouissimo quadrante non sit exeundum, isque tortor seu minister, diabolus esse, communi Christianorum sensu, receptissimoque eius loci Commentario, iudicetur: tamen plus esse diabolo tribuendum quam carcerarium eiusmodi ministerium, ex aliis diuinæ scripturæ locis, iam à nobis antè productis, planissimum reddi potest. Ac primùm, ministeriū hoc nihil aliud quam pœnæ in reos executionem habet: quæ & angelis sanctis possit esse communis, qui Deo suum exhibent famulatum, non modò beneficiis conferendis, verum etiam irrogandis suppliciis, diabolo verò propria potestas est, sibi traditos & in peccata impellendi, & in peccatis detinendi: in eoque ille imperatorium quèdam exercet dominatum. Quo quidem non pauca scripturarum sententiæ manifestò pertinent. Ideo enim dictum est à Paulo, captiuos à diabolo teneri aliquos ad ipsius voluntatem. Ideo à Christo Domino cõparatur forti armato, quo atrium custodiente, in pace sint omnia quæ possideat. Ideo & Iudæis à seruatore dictū illud: Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. Ideo deniq. & à sancto Iob dictus est ipse Rex & caput super omnes filios superbiæ. Deinde quænam erit sub diabolo hominum seruitus, si non in illo erit dominij principatus? seruum autem diaboli, malum esse hominem, in eamque seruitutem iure quodam belli venisse, declarat illud Petri Apostoli: A quo quis deuictus est, huic & seruus addictus est. Nec verò interest, fraudene an violentia vincat inimicus, cum ad victoriæ titulum satis sit strauisse hostem. Porrò in certamine, victoriam ius potestasque sequitur in deuictos, quanta sufficiat ad qualecunque dominium erigendum. Itaque S. Leo, Superbia, inquit, hostis antiqui, non immeritò sibi in omnes homines ius tyrannicum vendicabat, nec indebito dominatu premebat,

Serm. 2. de
Natiuit.

mebat, quos à mādato Dei spontaneos, in obsequium suæ voluntatis allexerat; quare nec iustè amitteret originalem dediticij generis seruitutem, nisi de eo quod subegerat vinceretur. Item Bernardus Epistola 190. quæ scripta est ad Innocentium Pontificem, contra hunc ipsum Petri Abelardi sensum & errorem ex professo disputans; Discat, inquit, diabolum non solùm potestatem, sed & iustam habuisse in homines: vt consequenter & hoc videat, venissè vtique in carne Dei Filium, propter liberandos homines. Cæterùm etsi, inquit, iustam dicimus diaboli potestatem; non tamen & voluntatem. vnde non diabolus qui inuasit, non homo qui meruit, sed iustus Dominus qui exposuit. Non enim à potestate sed voluntate iustus iniustusve quis dicitur. Hoc ergo diaboli quoddam in hominem ius, etsi non iure acquisitum, sed nequiter vsurpatum, iustè tamen permissum. Sic itaque homo iustè captiuus tenebatur, vt tamen nec in homine, nec in diabolo illa esset iustitia, sed in Deo. Hæc D. Bernardus. Vnde intelligitur tale ius talemque esse diaboli potestatem, qualis est hominum præpotentium, in ea regna, quæ sola dominandi libidine aut alienæ prosperitatis inuidia, in suas redigunt ditiones. quos nemo solùm carcerarios ministros vocauerit: qui tamen si iniustè, nullaq. æquitate sua, fines inuasent alienos, tamen regio atq. imperatorio fastu potestateque funguntur, Deo permittente. Itaque hi vocantur Imperatores aut Reges, non vilo iure quod sibi legittimè cōpararint, sed quod tyrannica vi potentiaque maiore vsurparint. Quod ille non ignorabat pirata, qui reprehensus ab Alexandro magno, quòd piraticam exerceret, mareque ea ratione infestum & damnosum nauigantibus redderet; multa libertate respondit, pari quidem iure se cum Alexandro vti, sed se quia nauigium modò paruum haberet, latronem; illum verò quia integra classe idem faceret,

Cicero lib. de
Repub. 3. &
August lib. 4.
de ciuit. Diu,
cap. 4.

*Cyprian. lib. 2.
epist. 2.*

*Aug. lib. 4. de
civitate Dei,
cap. 4. & 6.*

*Lib. 6. contra
Iulianum, c. 9.*

faceret, Imperatorem vocari. Quoniam reuera domi-
nandi cupiditate bella inferre finitimis, & rudes ad re-
sistendum populos perdomare, viriumque accessione,
dum proxima quæque victoria instrumētum sequen-
tis est, longè lateque populis subactis, Imperij fines
proferre (quod primum à Nino Assyriorum Rege fie-
ri cœptum esse Iustinus tradit) quid ergo hoc ipsum,
quod tamen Regnum, quod Imperium, quod Monar-
chiam etiam vocant, aliud reipsa sine iustitia quàm
grande latrocinium nominandum est? Si quis autem
hoc loco dicat quoniam Deo per suam iustitiam ordi-
nante, homo peccator diabolo tanquam suo principi
subditus sit, ideo integrum non fore vt ei resistat, man-
datisque repugnet: respondebitur hoc ei quod diuus
Augustinus Iuliano Pelagiano, similem in modum ar-
gumentanti respōdit. Iam porrò, inquit, illa qualis est
argumentatio tua? Si res, inquis, quæ decenter ordina-
ta est, ad Deum pertinet; & res quæ ad Deum pertinet,
bona est; bonum itaque est subditū esse diabolo: quo-
niam qui institutus est à Deo, per hoc ordo seruatur;
sequiturque, inquis, vt malum sit rebellare diabolo,
quoniam per resultationem institutus à Deo ordo tur-
batur. Posses dicere Deo resistere agricolas, eiusque
ordinem perturbare purgando agros à spinis & tribu-
lis, quæ ille peccatoribus nasci iussit in pœnam. Quid?
quòd ista tua ratione dici potest, si res quæ decenter
ordinata est, ad Deum pertinet; & res quæ ad Deum
pertinet, bona est; bonum est malos esse in gehenna,
quoniam institutus per hoc ordo seruatur? quod verò
tu addis, sequique vt malū sit rebellare diabolo, quo-
niam per resultationem, institutus à Deo ordo turba-
tur; cur hoc dicis? quis enim rebellat diabolo, nisi ab
eius potestate per Mediatoris sanguinem liberatus?
Melius ergo fuerat hostem non habere quàm vincere.
Sed quia peccati merito humana natura subdita est
hosti,

hosti, prius homo ut aduersus eum pugnare possit, ab eius eruitur potestate; deinde si vita est in hac carne prolixior, certas adiuuatur ut superet, postremò victor beatificatur ut regnet, diciturus in fine, Vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus? Sic Augustinus: Cæterum si & illud quempiam moueat, diabolo pretium redemptionis offerri debuisse, quo homines captiuos dimitteret, si quo in illos Imperatorio tanquam in deuictos iure vteretur; dicendum erit solum fuisse Deum qui ius habuerit puniendi peccatores, ideoque illi pretium offerri debuisse propter ipsius iustitiam, quæ exigebat sufficientem poenam ad peccati condonationem. At diabolus, qui mala planeque tyrannica & superba voluntate, iusti iudicis sententiam est executus, dignus fuit qui affligendi homines potestate excideret: tum præsertim cum innocentem Christum vnâ cum nocentibus, sæuitiæ suæ odio excæcatus improuidusque peremit.

CAPVT X.

Confutatur eorum deliramentum, qui demones aliquas negantes esse substantias, affirmant non aliam quam peccati agnoscendam esse seruitutem.

POSTREMO loco admonendum fuit, esse hac ætate nonnullos qui solam agnoscant peccati seruitutem. Quæcunque enim dicantur de spiritibus malignis seu dæmonibus, ea non sine tropo fictionis personarum dicentur: reuera autem non aliud significari quam malos affectus, turbidosque aut malitiosos animi motus, quibus homines agitentur, ac velut à dominis quibusdam furiosum exercitibus imperium, in miseram captiuitatem redigantur. Nugantur ergo hi de malignis spiritibus, quomodo Sadducæos olim nugatos esse traditum est, per Angelos nihil designari aliud quam vel motus quos Deus hominibus inspiret, vel ea quæ edit